UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

philosophi

qui enim Christi sunt spiritu Dei aguntur. Credunt Deum philosophi misericordem esse, sed his qui sunt sine peccato. Et cum habeant naturæ notitiam, expertes Euangelij, & remissionis peccatorum per Christum, non consistunt in tentationibus, sed desperãt. Et ne legem quidem naturæ possumus præstare, in multis enim offendimus omnes. Bonum mihi adiacet, sed perficere non inuenio. Video meliora proboq;, deteriora sequor. Et ideo illa regula dicitur lex naturæ. sed non dicit Christus, quod etiam illam implere possumus ex nobis, sed sanctis hæc imperfectio nõ imputatur propter fidem, Sed postea plura de hoc negotio dicam.

PROPOSITIO QVARTA.

LEx positiua duplex. Diuina, Humana. Diuina, ut summatim dicam, est, ipse Decalogus fidem & charitatem præcipiens.

CENSVRA.

LEx diuina in prima tabula decalogi, præcipit fidem spem & charitatem erga Deum. In secunda tabula præcipit charitatem erga proximum.

CONDEM. CENSVRAE

math. 22.

CHristus totam legem & prophetas in duo maxima mandata diuisit, Matth. 22. Nam omnia præcepta in fide erga Deum, & charitate erga proximum recapitulant̃, Sed quiuis Iudicare potest, Fratrem prorsus ignorare naturam fidei, ubi enim est fides, adest & spes & charitas, sunt enim indiuisa hæc tria, & res eadem. Ob sua incrementa & effectus

effectus uaria sortitur nomina, dicas fidem, spem, charitatem in Deum, idem dixeris. Hierony. ad Gala. Nec mirum inquit, si spes in hoc catalogo non referatur, cum in fide sit quod speratur. Et ita eam Apostolus describēs Hebræis definiat: Fides est substantia sperandarum rerum &c̄. Dilige dominum Deum ex toto corde &c̄. Et sic Fratris ignorantia de fide, spe & charitate palam fit. Hieronim 9

PROPOSITIO QVINTA.

LEx est doctrina quæ præcipit facere bona, uitare mala.

CENSVRA.

HInc patet quid appellet ipse legem, non ueterem tantum, sed communiter utriusq; testamenti præceptum uel prohibitionem.

CONDEM. CENSVRAE.

SCriptura aut præcipit aliquid aut promittit. Si præcipit, lex est. Si promittit, Euangelion: & ut Euangelio pleni sunt libri legis & prophetarum, ita legem sparsam in nouo testamento habemus. Et propemodum nō est aliud nouum testamentum, quam interpretatio ueteris, docet quomodo lex sit implenda, cum sit spiritualis, motibus scilicet cordis, fide, spe, inuocatione Christi. Appello itaq; legem quicquid uspiam præcipit, uel fidem uel morum innocētiam, nam lex subinde repetitur, de diligendo Deo & proximo, & in nouo testamento. Quod autem dicit Frater, legem non ueterem tantum &c̄. indicat se ignorare quid sit lex (quanquam legis nomine aliquando tota scriptura intelligitur) excepta lege ceremo-